



**Commentariorvm, Ac Disputationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Angeli quo naturali dignitate perfectiores, maiorem à Deo gratiam
consequuti sunt. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Ego vero multo veriolem existimo sententiam eorum, qui dicunt, angelos non sine aliqua dispositione propriæ operationis iustificatos fuisse, quæ simul in eodem primo instanti, cum ipsa gratia habitualis infusione esset. Ita docuit *Caietan.* 2. 2. q. 24. art. 3. circa solut. 3. refertur etiam pro hac sententia, *Ferrar.* 3. contra gent. cap. 110. nam quamvis ibi solutū asserat, angelos in primo instanti sui esse, meruisse, ista doctrinam tamen S. Tho. quam infra explicabo, debet consequenter docere, illud meritum vitæ æternæ fuisse dispositionem ad iustificationem: idem quæ affirmare coguntur, quicumque concedunt, in primo instanti Angelum habuisse actum charitatis & gloriam meruisse: nam actum charitatis, qui simul est cum infusione habitus, omnes Scholastici dicunt dispositionem: tamen si de ordine, quem habeat actus ille cum habitu, non leuis apud eos sit controuersia. Huius autem opinionis explicandæ gratia notandum est, dispositionem ad iustificationem varie apud doctores usurpari. Dicitur enim dispositio quæcumque operatio, qua homo paulatim tendit ad iustificationem & impetrat sibi aliud auxilium vsque ad remissionem peccatorum, & iustificationem ipsam, & de hac solum existimo locutos fuisse patres *Concilij Trident.* sess. 6. c. 5. & 6. & sess. 14. c. 4. ubi contritionem, quam ibi appellat dispositionem ad gratiam, non usurpant pro dolore de peccatis ex amore Dei super omnia profecto, sed pro dolore ex alio fine, vel pro dolore in vniuersum: nam in eo c. 4. cum de contritione formata charitate loquuntur, non appellant dispositionem ad gratiam, sed inquirunt ea hominem cum Deo reconciliari; de qua re latius agemus 1. 2. q. 113. art. 2. Si igitur de hoc genere dispositionis loquamur, quæ tempore præcedit omnibus, qui docent, Angelum fuisse in gratia creatum, indubitatum est, non fuisse dispositum vilo genere operationis ad gratiam & iustificationem, vt satis liquet: quod si tempore aliquo fuisset Angelus sine iustitia & sanctitate, vt per aliqua opera paulatim disponeretur, indigeret auxilio gratiæ ad illa opera: neminem enim etiam ad gratiam Dei ex proprijs viribus posse disponi, eadem rationes, & testimonia omnino probant de angelis, atque de hominibus, quæ late adduximus disp. 9. r. aliqua etiam dispositio, quæ tempore solet præcedere iustificationem, & per se sola non posset iustificare, nec ex se necessario coniungitur cum iustificatione, vt attritio, cum Sacramento semper affert secum iustificationem, & coniungendam habet, vt decernitur in Concilio Trident. sess. 14. c. illo 4.

Dicitur quoque ab Scholasticis dispositio ad iustificationem actus charitatis & contritionis, qui simul tempore cum ipsa gratia habituali in iustificatione est. Vtrum autem hic actus procedat, vt à causa efficienti solum ab auxilio & in genere causæ efficientis procedat habitum: an vero procedat ab ipso habitu, vt ab efficienti, & ita supponat infusionem habitus ex parte efficientis, sed præcedat habitus receptionem ex parte passivi, magis quæstionis est. Eodem tamen modo in angelis, atque in hominibus de huiusmodi ordine Philosophandum est, de quo fultus differemus 1. 2. q. 113. art. 8. nunc vero nobis sufficiat ostendere, hoc genus dispositionis non minus in angelis fuisse, quam asseritur esse in hominibus, qui proprio actu iustificantur: quamvis in hominibus post

peccatum hoc peculiare habeat hæc dispositio, vt amor Dei dolori de peccatis coniungatur in idem tempore primū ex August. loc. cit. in præcedenti disp. c. 2. probatur, vbi plane dicit, angelos fuisse creatos in dilectione Dei & amore charitatis. Deinde de qua si semel admittimus, angelos in primo instanti iustos fuisse, nulla est ratio, ob quam negemus, habuisse quoque ab initio amorem charitatis erga Deum: quod enim dicebat Caprol. prius duratione debere esse actum naturalem ex parte natura, quam operationem ex gratia, non video qua ratione asseratur. Fateor S. Tho. ita docuisse loco citato pro opinione Capreoli; oppositum tamen aperte sensu in hac l. p. q. 63. art. 5. ad 4. vbi fatetur, angelos in primo instanti meruisse gloriam: cur igitur negabimus, ab initio etiam dilexisse Deum ex charitate? Præterea quod dicitur Alexander, in primo instanti, quo res producit, non posse operari, & quod dixerunt Hugo, & Henricus creaturam rationalem non posse in primo instanti libere apte ex deliberatione operari, infra disput. 136. c. 3. falsum esse ostendemus: de libertate in eodem instanti contra eosdem etiam iam diximus supra.

CAPIT. II.

Angeli quo naturali dignitate perfectiores, maiorem à Deo gratiam consequuntur.

EX cap. præced. vt indubitatum supponimus, nullam in Angelis præcessisse naturalem dispositionem ex proprijs viribus, ratione cuius ipsi gratiam iustificationis à Deo consequerentur. Nunc vero eodem modo supponendum est, naturalem vniuersamque perfectionem, in qua à Deo conditi sunt, quæ dicitur gratia creationis, vt disp. 68. c. r. explicuimus non fuisse vilo modo causam impetrandi à Deo gratiam iustificationis: hoc autem in Angelis eadem omnino ratio probatur, quæ in hominibus locum habet, de qua supra disp. 91. satis sèrè quæ dictum est. Atque ob eandem rationem existimo non minus de fide esse, dignitatem angelorum naturalem non fuisse causam gratiæ ipsis collatæ, quam bonam indolem & ingenium hominum non fuisse causam gratiæ ipsorum. Cæterum, vtrum Deus voluntate sua nullo modo respiciens dignitatem creationis tanquam causam, gratiam suam iustificationis varijs modis distribuatur Angelis iuxta eorum dignitatem & excellentiam naturalem, an non, in quæstionem vocari potest. Neminem autem Scholasticorum hæcenus legi, qui de ea disputaret, præter *Magistrum in 1. d. 3. & S. Thom.* atque *Caietan.* & recentiores Theologos in art. 6. huius quæst. & 1. 2. q. 14. art. 3. ad 3. omnes autem communi sententiæ docent, superioribus Angelis maiorem gratiam iustificationis in ipsa creatione fuisse collatam. Põitque a patre opinio *Damasc.* 2. de fide, cap. 3. ante medium, vbi postquam dixit, Angelos omnes in sui creatione gratia Dei fuisse perfectos, subiungit. *Ita tamen, vt pro sua quisque dignitate, & classe gratia & laudibus participes sint.* Constat etiam ex doctrina *Dionysii*, qui Hierarchias Angelorum & ordines in bestitudine secundum mensuram naturalis perfectionis distribuit, vt videre est cap. 6. de vltimis Hierarchia, & sequentibus, & de prima Hierarchia in eo capite docet, nullam esse diuisionem, & quæ eo capite docet, nullam esse diuisionem, & quæ maiori studio diuinis illustratioribus occupatur, quam doctrinam de Hierarchijs à magistro suo

Caietan.

Ferrar.

3.

Conc. Trient.

4.

nempe Paulo, se accepisse testatur: & c. 7. de prima hierarchia iterum inquit, *Iure igitur ac merito celestium hierarchiarum prima à summis excellentissimisque naturis administratur.* Adde etiam *Basili. lib. de Spiritu sancto cap. 16. parum à principio,* inter seiplos sanctificationis mensuram ab Spiritu sancto accepisse. Neque vero hæc legi, qui oppositum defenderet. Quare alia diuersa gratiæ distributio inter Angelos seruata est, quam inter homines. Nam inter homines multi sunt nobilioris indolis, & ingenij, quibus minus gratiæ Dei communicatur, vt di. putatione 9. notatum est. An vero Angelus primus, qui cecidit per peccatum, fuerit natura sua omnium præstantissimus, ac proinde maiorem à Deo gratiam iustificationis accepit, videbimus infra disputat. 23. 7. cap. 2. hanc vero sententiam de distributione gratiæ non solum veram existimo in Angelis, qui permanserunt, de quibus videntur loqui Dionys. & Basil. sed etiam de ijs, qui ceciderunt: tum quia Damascen. de omnibus vniuersim videntur loqui: tum etiam quia non videtur maior ratio de ijs, qui perseverauerunt, quam de ijs, qui ceciderunt: saltem, quod atinet ad primum initans suæ creationis, in quo omnes iusti fuerunt, Deumque dilexerunt, & vitam æternam promeriti sunt: nam in sequenti instanti malos Angelos minus auxilium Dei præueniens habuisse, quam bonos illi saltem dicere debent, qui asserunt homines, qui non respondent Deo vocanti, minori gratiæ præuentos fuisse, quam eos, qui respondent: de quo disp. 98. satis superque dictum est.

CAPVT III.

Prædicta doctrina quibusdam notationibus illustratur.

Ceterum, vt præcedentem doctrinam Patrum & Scholasticorum sincere intelligamus nec aliqua nobis sit occasio erroris, quædam obseruatione digna notanda sunt. Primum est, non tantum Deum absque vilo debito donasse gratiam Angelis, verum etiam ex parte ipsorum nihil dignum, nihil congruum præcessisse, quod fuerit causa donationis gratiæ. Nam ita Deus dona illa contulit, vt non respexerit donum creationis tanquam causam, sic enim gratia iustificationis primo auxilio vsque ad vltimū haberet rationem retributionis, non autem misericordię, aut liberalis omnino donationis, vt deducebamus disp. illa 91. cap. 15. quod tamen, vt ibidem notauimus, est contra rationem diuinæ gratiæ, qua creatura rationalis iustificatur.

Secundo doctrina *Caletani 2. 2. q. 24. art. 3. circa solutionem 3.* examinanda est. Attingitur *Caletanus*, charitatem fuisse Angelis distributam ex Deo voluntate tanquam ex causa per se: quia licet Angelo perfectioris naturæ, qui ex se perfectius operatur, & conatur, data fuerit maior gratia: hoc fuit (inquit *Caletanus*) per accidens, eo quod Deus sic voluit dignum facere conatum Angeli perfectioris, vt esset conueniens dispositio ad maiorem gratiam iuxta proportionem, qua Angelus superior perfectius conatur, quam inferior: potuisset tamen Deus si voluisset conatum alicuius Angeli magis dignum efficere ad maiorem gratiam, quã conatum superioris. Hæc tamen doctrina explanatione indiget. Primum quidem, si intelligat

Vasquez in 1. p. tom. 2.

Caletanus naturales Angeli conatus, & opera digna effectu per fauorem & acceptionem Dei secundum proportionem naturæ vnius Angeli cum alio, vt essent dispositiones ad gratiam, seu charitatem, absurda doctrina est, siue nomine gratiæ intelligas habituales, qua fit homo iustus, & renuntuntur peccata, siue primam vocationem gratiæ operantis, quia nulla actio ex pura natura potest esse digna, aut congrua dispositio, vt impetret gratiam, sic enim tolleretur vera ratio gratiæ, vt di. putatione illa 91. cap. 15. satis ostensum est. Deinde, si *Caletanus* intelligat, conatus naturales Angeli dignos effectos ad maiorem, aut minorem habitum gratiæ & charitatis iuxta proportionem naturæ vnius Angeli cum alio hoc modo, vt perfectior Angelus, qui perfectiorem habet naturam, maiori vocatione gratiæ fuerit præuentus; vt virtute illius efficacius operaretur, & ita eius consensus esset magis congrua dispositio ad gratiam, seu charitatem habituales, eius sententia vera est; nam vltima illa dispositio, de 1. cap. huius di. putationis dictum est, siue præcedat infusionem habitus ex parte efficiētis, siue ex parte efficiētis sequatur infusionem habitus, & ex parte passi præcedat receptionem habitus, vt 1. 2. quæstion. 11. 3. artic. 8. dicemus, semper fatendum est excitari in nobis, & in Angelis ex aliqua congrua cogitatione, quæ ad gratiã pertinet operantem seu præuenientem, & ex illa etiam cooperationem arbitrij otiri, vt ita consensus liber sit ab vtroque cooperante, & non ex solo arbitrio. Ceterum, vt supra dicebamus, nullo modo concedere possumus discursum gradum & excellentiam naturæ angelicæ fuisse causam vilo modo imperatoriam, aut disponentem, vt hæc potius vocatio, quam illa conferretur. Diuisit autē Deus Angelis eodem modo, atque hominibus has vocationes, sciens prius quid vnusquisque cum hac, vel cum illa esset facturus, sicut disp. 88. de hominibus dictum est.

Tertio referam sententiam quorundam Theologorum nostri temporis, qui de dispositione ad gratiam in Angelis, meo quidem iudicio, non recte sentiebant. Asserebant enim, Angelos fuisse iustificatos ex dispositione solius liberi arbitrij, absque dono Dei: quia putabant, gratiam recipere & retinere, non esse in Angelis donum Dei: idemque de gratia donata primo homini in statu naturæ integræ opinati sunt, quare & mensuram iustificationis, & charitatis habitualis ex mensura dispositionis ex solo libero arbitrio procedentis desumendam esse dicebant. Ita quidem philosophabantur iunxi auctoritati Ang. cuius mentem non sunt assequuti. Horum igitur sententia de quacunque gratia intelligatur absurda est. Primum, si loquamur de gratia, & charitate habituali, & de vltima dispositione ad illam, quæ Scholastici ponunt, absque errore dici nequit, disponi posse Angelū ex proprijs viribus ex solo dono creationis, sine vilo alio dono gratiæ Dei, quia vltima illa dispositio dicitur ab omnibus actus charitatis, hic autem non potest esse ex solo libero arbitrio, nam charitatis affectum etiam in Angelis, & natura integræ donū Dei esse nemo dubitat. Imo vera *Basili. Basili. lib. de Spiritu sancto, cap. 16. parum à principio,* docet, Angelos non potuisse dicere illud, *Gloria in excelsis Deo, &c.* nisi accepta ab Spiritu sancto potestate, hoc est, gratiã: quia nemo, etiam Angelus dicere

H h h

potest.

10 Sententia aliorum Theologorum in hæc.

Basili.

7

8

Causa doctrina di. putatur & explicatur.